Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38233
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Locis suis accipiantur bona sunt si quo minus mala erunt adserenti
peruersae peccare est enim unaquaeque minime locis suis exponere propterea
quia iustis lege non opus est idem his qui acceptare missione peccatorum
iustificati sunt ne iam uiuant sub lege a qua liberati sunt dono dei
per fidem christi uidet et uero seruata lege naturae quae creatoris cognitio
nem recipit et non peccari hortatur iudicii diem expectent in quo
iusti remunerandi sunt custodientes legem quam si humanum
genus ducem habuisset lex in litteris per moysen data non esset sed quia
contemptui ducta est quasi nullius esset auctoritatis scriptura firmata
est ut sciretur quod seruanda esset et propter tempus praesens et quod requisi
turus est in futurum qui illam firmauit a quibus neglecta et a quibus
seruata est itaque non solum propter malos actus et uitia corporis legem
datam dicit sed et propter perfidiam qua spernebant creatorem ut bene
uiuere addiscerent et gratias agerent conditori; Et gratias ago
ei qui me confortauit christo iesu domino nostro quod fidelem me existima
uit ponens in ministerium qui prius eram blasphemus et persecutor
et contumeliosus sed misericordiam consecutus sum qui ignorans
feci nondum credens superhabundauit autem gratia domini nostri cum
fide et dilectione quae est in christo; Propter quod omnis incredulus
infirmitatem animi patitur constrictus carnali ratione ne credat
spiritali idcirco christo se gratias dicit agere quia apparenti maies
tatis suae inbecillitatem mentis eius roborauit qua inpossibile puta
bat esse quod dei potestate et gemina natiuitate et resurrectione
et spe praedicabatur confirmatus autem talis uisus est qui dignus esset
ac posset dispensator esse sacramenti dominici ut eam uera per legem
firmaret quae prius cum ore legis incredibilia iudicabat et in per
secutionibus gauderet quasi prius quasi iuste credentibus inferebat
dolens quia fecerat laetus quia patiebatur tanti enim spem didice
rat in eo quem ante negabat ut plus gauderet in patiendo quam
prius exultauerat in persequendo non enim malitia hoc agebat